

comprobarunt. Innocentius in epistola ad Concilium Carthaginiense, quæ est apud Augustinum 91. « Adjutorio, inquit, quotidiano nos egere, negare non possumus ». Et infra: « Quemadmodum Pelagius, Celestiusque suasores se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei non debere quærere, nec egere, cum omnes sancti, nihil se sine hoc agere posse testentur? » Idem in epist. ad Concilium Milevitanum apud Augustinum 93. « In omnibus, inquit, divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legimus esse nectendum, eamque nihil posse celestibus auxiliis destitutam ».

Zozimus in epistola ad omnes Episcopos (ut refert Celestinus in epistola ad Gallos cap. 9.) « Quod, inquit, tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio, in omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat ».

Ipsæ autem Celestinus in prædicta epistola cap. 8. « Quotquot, inquit, spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut neq. nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium ».

Idem probari potest testimoniis aliorum Patrum. S. Cyprianus lib. III. ad Quirinum cap. 4. « In nullo, inquit, gloriandum, quando nostrum nihil est ».

S. Ambrosius lib. II. in Lucam cap. XII: « Vides, inquit, quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino ».

S. Hieronymus in lib. III. contra Pelagianos, non longe a principio: « Hoc, inquit, longa dissertatione conclusum est, ut gratia sua Dominus, quæ nobis concessit liberum arbitrium, in singulis operibus juvet atque sustentet ».

S. Augustinus lib. II. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 5. « Liberum, inquit, arbitrium dicimus ad bene, pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia, fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta ». Item in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 2. « Quod, inquit, attinet ad pietatem, et religionem, non sumus sufficientes cogitare aliquid quasi ex nobis, et nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum

quodcumque opus bonum ». Item in libro de gratia Christi cap. 26. « Gratiam, inquit, Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. » Et cap. 47. « Si, inquit, ut dixi, consenserit (Pelagius) etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil boni velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia facit justos, ut ea si vera justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquatur ».

Auctor Hypognostici, qui, ut alias diximus, non est Augustinus, sed alius Pater antiquus et doctus lib. III. « Esse fatemur, inquit, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum (quæ ad Deum pertinent) inchoare, aut certe perficere sine Deo, sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis ». Et infra: « Vitiato ergo libero arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod (absque adjutorio gratiæ) quod Deo placeat nec valet incipere, nec perficere sufficit ».

S. Prosper in lib. contra Collatorem cap. 38. « Non conturbat, inquit, nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si et principia, et profectus et perseverantia in bonis, usque in finem Dei dona esse dicantur. Quoniam opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus, et tamen misit Deus spiritum in corda nostra clamantem Abba Pater, volentes loquimur, et tamen si pium est, quod loquimur non sumus nos loquentes, sed spiritus patris nostri, qui loquitur in nobis; volentes operamur salutem nostram, et tamen ipsum velle, atque operari, Deus est, qui operatur in nobis ».

S. Fulgentius lib. de incarnatione et gratia Christi cap. 13. « Peccans, inquit, ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit facultatem. Oblitus est enim manducare panem suum, et expoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic jacuit oppressus ditione peccati, ut nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset ».

Sanctus Gregorius hom. 9. in Ezech. « Nos, inquit, prævenit, ut velimus, et volentes subsequitur, ne inaniter velimus ».

S. Bernardus in lib. de gratia et libero arbitrio: « Conatus nostri, inquit, et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non excitentur ».

His accedat argumentum ab orationibus, et gratiarum actione. Non enim sine causa orat Ecclesia, ut Deus actiones nostras aspirando præveniat, et adjuvando prosequatur, nec sine causa pro omni bono opere gratias agit, nisi quia novit, nihil veri boni, id est, quod ad salutem pertineat, sine Salvatoris gratia fieri posse.

Accedat postremo damnatio operum Cassiani et Fausti, in Concilio Romano, præsidente S. Gelasio Papa, quæ habetur in decreto Gratiani distinct. 16. canone S. Romana. Non enim alia de causa opera Cassiani et Fausti, quæ alioqui multa valde utilia continent in apocryphis numerantur, nisi propter sententiam istam de bonis operibus ad pietatem pertinentibus, quæ illi sine adjutorio gratiæ fieri, aut inchoari posse disputabant. Quibus adde, Faustum propter hos errores habitum fuisse Pelagianum hæreticum, ut testes sunt Isidorus in lib. de scriptoribus, Ado Vigenensis in Chronico, et auctor vitæ S. Fulgentii cap. 26. Quod si vir doctissimus Ruardus Tapperus observasset, non tam sæpe Faustum Catholicum appellasset.

CAPUT V.

Non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam, ullo modo se præparare.

Altera sententia erat, non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam, ulla se ratione disponere. Quæ sententia ita intelligenda est, ut non solum non possit homo suis viribus se præparare ad habitum gratiæ gratum facientis, sed neque ad gratiam adjutorii specialis: et rursus, non modo non possit ita se præparare, ut ex condigno illi gratia conferatur, sed neque ut ex congruo, ac demum nihil

agere possit, cujus causa Deus illi gratiam dare dicatur.

Id vero primum probari potest omnibus argumentis, quibus superior sententia confirmata est. Nam omnis dispositio ad gratiam, aliquid est ad salutem æternam perfinens: proinde fieri non potest solis naturæ viribus, si quid valent testimonia Scripturæ, Conciliorum et Patrum capite superiore prolato. Sed duo præcipue loca ex iis, quæ citavimus capite superiore, urget S. Augustinus in lib. I. ad Bonifacium cap. 19. et lib. II. cap. 8. illud Joan. VI. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum* (1). Nam qui se disponit, non debet trahi, sed duci, jam enim venire paratus est. Et illud Joan. XV. *Sine me nihil potestis facere* (2). Posset enim Dominum convincere, qui posset se disponere. Diceret enim: Ecce sine te cor præparavi. Qui eodem modo Apostolo dicenti, I Cor. IV. *Quid habes, quod non accepisti* (3)? responderet, habeo cordis mei præparationem.

Deinde probant hanc sententiam illæ omnes Scripturæ, quæ docent, conversionem ad Deum esse opus Dei, ut Psal. LXXXIV. *Converte nos Deus salutaris noster*. Et Thren. V. *Converte nos Domine, et convertemur* (4). Nam conversio est dispositio, et dispositio est conversio. Quemadmodum enim, qui est aversus a sole, non incipit disponi ad recipiendam lucem, nisi cum incipit converti ad aspiciendum solem: sic etiam qui est aversus a Deo, non incipit disponi ad gratiam Dei, nisi cum ad eum incipit reverti. Eodem pertinet illud Psalm. LXXVI. *Dixi nunc cæpi, hæc mutatio dexteræ excelsi* (5). Nam (ut notat S. Augustinus in libro II. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10), significat hoc testimonium ipsam conversionis inchoationem, dono Dei esse tribuendam. Illud item Ezechiel. XXXVI. *Non propter vos faciam, domus Israel, sed propter nomen meum sanctum, quod polluistis in gentibus* (6). Quid aliud indicat, nisi nihil Deum in hominibus invenire, cur eos ad se convertat, detque eis *cor novum et spiritum novum*, ut in eodem Propheta continuo adjungitur. Quem locum diligenter notavit S. Augustinus in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 14.

Adducunt quoque passim idem Augustinus, et Concilium Arausicanum, item Prosper, Fulgentius et alii, illud Proverb. VIII.

(1) Joan VI, 44. — (2) Ibid. XV, 5. — (3) I Corin. IV, 7. — (4) Psal. LXXXIV, 5; Thren. V, 24. — (5) Psal. LXXVI, 11. — (6) Ezech. XXXVI, 22.

Præparatur voluntas a Domino (1). Sic enim reddiderunt Septuaginta id, quod nos legimus, *hauriet salutem a Domino*. Et verba Hebræa utrumque sensum recipiunt, quamvis onim vox illa רצון non significet proprie salutem, sed voluntatem, tamen significat aliquando bonam Dei voluntatem erga homines, et tunc idem est, quod salus. Illud etiam verbum רצון significat quidem in conjugatione Hiphil educere, haurire etc. Sed potest etiam in conjugatione Hophal significare educi, excitari etc. ut sensus sit, et excitabitur, ac producet voluntas a Domino. Denique dubitari non potest, quin septuaginta viri longe doctissimi verba Hebraica probe intellexerint et expresserint.

Frequentissime autem profert idem Augustinus illud Apostoli Rom. XI : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (2) ? Quod apertissime significat Dei gratiam a nullo humano opere præveniri. Præveniretur autem, si homo suis solis viribus posset ad gratiam se disponere. Daret enim prior Deo pium illum affectum disponendi se ad gratiam.

Huc denique pertinent variæ Scripturarum similitudines. Comparatur enim homo peccator terræ omni humore destitutæ, quæ ne minutissimam quidem herbam germinare potest, nisi desuper irrigetur. Sic enim ait David in Psal. CXLII. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (3). Et paulo ante dixerat : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Comparatur item luto, quod a figulo tractatur Isaia XLVII. Hierem. XVIII. et Roman. IX. At certe lutum non se ipsum disponit ad formam vasis recipiendam, sed a figulo primum disponitur, deinde formatur. Comparatur præterea homini mortuo, qui ad vitam revocandus est Lucæ XVIII : *Mortuus erat et revixit*. Ephes. II. et Coloss. II : *Cum essetis mortui in peccatis et delictis* (4). At mortuus non se disponit ad vitam, nec potest, nisi vim aliquam vitalem ab excitatore suo recipiat. Comparatur quoque justificatio generationi, I Petri I : *Renati non ex semine corruptibili etc.* Et Jacobi I. *Genuit nos verbo veritatis* (5). At materia non se ipsa disponit, sed a generante disponitur. Comparatur denique ipsa Dei gratia igni, Cant. VIII : *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammularum*. Et Dominus Lucæ cap. XII : *Ignem, inquit, veni mittere in terram* (6). Nihil autem incipit

(1) Prov. VIII, 35. — (2) Rom. XI, 35. — (3) Psal. CXLII, 6. — (4) Luc XV, 32; Eph. II, 1. — (5) Col. II, 13; I Pet. I, 23; Jacob. I, 18. — (6) Cant. VIII, 6; Luc XII, 49.

disponi ad concipiendum ignem, nisi per catorem, qui est ejusdem ignis effectus. Scripturæ igitur et verbis, et similitudinibus undique clamant, non posse peccatorem ad recipiendam gratiam ulla se ratione disponere.

Probatur secundo eadem veritas ex definitione Ecclesiastica : definivit enim Synodus Palæstina contra Pelagium, gratiam non secundum merita nostra dari, sed ab illa potius originem ducere omnia bona merita. Cujus definitionis meminit S. Augustinus in epist. 106. et eam repetit in omnibus fere libris, quos adversus Pelagianos scriptos reliquit : gratiam autem secundum merita nostra dari intelligunt Patres, cum aliquid fit propriis viribus, ratione cujus datur gratia etiamsi non sit illud meritum de condigno.

S. Augustinus lib. II. ad Bonifacium cap. 8, « Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cceptum erit meritum, cui tamquam ex debito veniat adjutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed merito nostro dabitur ». Et lib. I cap. 19. ad eundem Bonifacium : « Dixisti, inquit, a Dei gratia in bono opere semper adjuvari, tamquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressa, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non doneatur indebita, ac sic gratia jam non sit gratia; sed sit illud, quod Pelagius in Concilio Palæstino ficto corde damnavit, gratiam Dei secundum merita nostra dari ». Et lib. de prædestinat. sanctor. cap. 2, cum proposuisset sententiam illorum, qui dicebant, initium fidei, id est, ipsum velle credere, posse haberi ex viribus naturæ, ait : « Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in episcopali judicio palæstino damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari ».

S. Prosper in lib. contra Collatorem cap. 6. « Quomodo, inquit, non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas ? »

Denique S. Fulgentius in lib. de Incarnat. et gratia Christi cap. 18. « Si vero, inquit, secundum opinionem illorum nostrum est velle credere, priusquam Dei gratia incipiat

nos adjuvare, injuste gratia dicitur, quia non gratis datur hominibus, sed bonæ retribuitur voluntati ». Hæc illi.

Habemus igitur gratiam Dei secundum merita nostra dari, et gratiam non esse gratiam, si aliquid eam præcedat, propter quod ipsa detur. At certe qui se disponit ad gratiam, aliquid facit, propter quod ei detur gratia : igitur qui dicit, dispositionem ad gratiam feri sine gratia, idem dicere convincitur, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod jam in Pelagio a Concilio Palæstino et universa Ecclesia constat esse damnatum.

Præter concilium illud Palæstinum, habemus etiam Concilium Arausicanum, in quo multis canonibus hoc idem apertissime condemnatur. Nam canon. 3. dicitur, neminem sine gratia posse invocare gratiam. Et canon. 4. per gratiam fieri non solum, ut purgemur, sed etiam ut purgari velimus. Et canon. 14, nullum miserum de quantacumque miseria liberari, nisi gratia præventum. At certe aliqua miseria est, non se posse ad gratiam præparare. Et denique canon. ult. « Hoc, inquit, salubriter profitemur, quod in omni bono opere nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamus, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem superius inspirat, ut baptismi Sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus ».

Accedat postremo ratio S. Thomæ in 1. 2. qu. 109. art. 6. Nam ejus est disponere ad formam, cujus est introducere formam : dispositio enim effectus est agentis, non materiæ, aut alterius causæ : gratiam autem justificationis Deus producit, et in animam introducit, igitur Deus animam disponit ac præparat, non ipsa se disponere, ac præparare potest, nisi pro ut movetur ab ipso Deo per aliud gratiæ donum.

Dices, quamvis non possit homo se suis viribus disponere ad gratiam justificationis, posse tamen ad illud gratiæ donum, per quod disponitur ad gratiam justificationis. At illud donum, per quod disponimur, non eget alia dispositione, alioqu岸i semper ad dispositionem requiretetur dispositio, numquam ad formam deveniri posset, et re ipsa videmus, donum gratiæ, quod disponuntur homines ad justificationem, dari nonnumquam iis, qui ma-

xime sunt indispositi, ut notum est de vocatione Pauli, Matthæi, Magdalenæ et similibus. Quod si etiam ad hoc donum requiretetur dispositio, non posset ex solis naturæ viribus comparari, quoniam (ut jam diximus) gratia non esset gratia, si daretur propter opus factum solis naturæ viribus.

Huc etiam pertinet ratio ducta ab orationibus piorum, et ab absurdis, quæ posita sunt in cap. 2. ad probandum, initium fidei non haberi sine dono gratiæ. Eadem enim rationes non minus efficaciter probant id, quod nunc probare contendimus.

CAPUT VI.

Solvuntur argumenta contra doctrinam duorum præcedentium capitulum.

Sed non desunt argumenta quædam adversus ea, quæ dicta sunt in hoc, et præced. cap.

Primum objici potest illud Zachar. cap. 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*. Et illud Prov. XVI. *Hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam* (1). Respondet, S. Augustinus lib. II. ad Bonifacium cap. 8. lib. de gratia et libero arbitrio cap. 5. commendari in his sententis liberum arbitrium, sed non excludi gratiam prævenientem : quemadmodum in illis : *Convertite nos Deus salutatis noster*. Et : *Præparatur voluntas a Domino*. Commendatur gratia præveniens, sed non excluditur liberi arbitrii cooperatio. Si enim solus Deus ista faceret, frustra diceretur hominibus, convertimini, et si homines soli ad hoc sufficerent, frustra diceretur Deo, convertite nos, et si Deus sine nobis nos præpararet, falsum esset, hominem præparare animam, et si absque Deo nos corda nostra præparemus, falsum esset præparari voluntatem a Domino.

Secundo objici possunt duo testimonia Patrum. Nam S. Joannes Chrysostomus hom. 42. in Genesim docet, Abrahamum accepisse a Deo magna dona gratiæ, sed antea se ad illa per opera bona disposuisse. Item hom. 17. in Joan. scribit, Deum non prævenire nostras voluntates, sed ubi præparati fuerimus, tunc demum illum adesse, ac juvare per gratiam. Et similia habet in hom. 12. in epist. ad Hebræos et homil. 42. ad populum

(1) Zach. I, 3; Prov. XVI, 1.

Antiochenum, et lib. 1. de compunctione cordis, extremo. S. Hieronymus in lib. in. advers. Pelagianos, bis repetit, nostrum esse velle, Dei autem, ut impleamus quod volumus.

Respondeo : S. Joannes Chrysostomus non ita quidem aperte gratiam prævenientem prædicat, quoniam eo tempore nondum exorti fuerant, qui eam negarent; sed tamen neque eam negat, si verba ejus sano modo accipiantur. Itaque nonnumquam Deo tribuit ea, quæ solus ipse facit, nobis autem tribuit ea, quæ nos cum Deo facimus. Et hoc modo loquitur de Abrahamo, cui Deus solus præstitit magna illa dona, ut esset pater multarum gentium; et ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes : sed non hæc præstitit Deus, nisi posteaquam Abraham se in virtutum stadio diu exercuit, quod quidem opus ipsius Abraham fuit, et illi jure meritoque tribuitur, licet non sine Dei ope, bona illa opera fecerit. Similiter explicanda sunt, quæ habentur homil. 17. in Joannem, et in priore de compunctione cordis.

Nonnumquam vero dicit, non præveniri nos a Deo per modum determinantis ad unum, et necessitatem adferentis, ita ut tollatur libertas arbitrii. Id quod sæpe ac libenter Chrysostomus repetit, tum propter Manichæos, qui negabant liberum arbitrium, tum etiam ad negligentiam et desidiam hominum discutiendam, ne ita se putarent a Deo præveniendos esse, ut nihil sibi relinquere agendum.

Sanctus autem Hieronymus dicit, nostrum esse velle, Dei vero implere quod volumus, non quod nostrum sit velle sine gratia Dei, sed quod nos possimus multa velle cum adjutorio gratiæ, quæ tamen cum eodem adjutorio non valemus implere, sed Dei solius sit efficere, ut aliquando illa quæ volumus impleamus. Ex. gr. volumus sine omni peccato vivere, et nullum omnino rebellem motum partis inferioris sentire; sed non possumus hæc implere, etiamsi adjutorium illud non desit, per quod velle ista potuimus; sed cum Apostolo dicere cogimur : *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*, Roman. VII (4). Tamen dabit aliquando Deus, ut hoc quod volumus impleamus, quando sanaverit omnes languores nostros, et ea, quam expectamus, advenerit redemptio corporis nostri.

Non voluisse autem S. Hieronymum sig-

(4) Rom. VII, 18.

nificare, nostrum esse velle, sine gratia Dei, perspicuum est ex epist. ad Ctesiphontem, ubi sic loquitur idem Hieronymus : « Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus; Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere ».

Tertio objici potest illud commune scholarum : facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Hinc enim sequitur, ut si quis faciat quod potest solis naturæ viribus, is hoc ipso disponatur ad gratiam, aut certe ad auxilium speciale, per quod deinde præparetur ad gratiam.

Respondeo, dictum illud commune scholarum, recte exponitur a S. Thoma in 1. 2. quæst. 109. art. 6. ad 2. et quæst. 112. art. 3. ad 1. et a S. Bonaventura in 2. sentent. dist. 28. art. 2. quæst. 1. qui docent, tunc facienti quod in se est non denegari gratiam, cum homo facit quod in se est, cooperando gratiæ Dei, a qua movetur. Nam ei, qui facit quod in se est ex solis naturæ viribus, non debetur gratia, sed pœna, non quidem pro eo quod facit ex solis viribus naturæ; sed quoniam pro uno aut altero bono opere morali, quod fortasse faciet, plurima peccata lethalia sine dubitatione committet.

Sane qui docent, hominem faciendo, quod in se est, solis naturæ viribus ad gratiam præparari, aut opinantur, eum suis viribus posse desiderare et petere a Deo gratiam, et hæc est hæresis Pelagiana, ut ex Concilio Arausicano, aliisque testimoniis supra citatis probatum est; aut certe existimant, posse hominem servare propriis viribus omnia præcepta moralia, et innocentem vitam agere secundum rationem, et hæc sanctitate morali provocare Deum ad auxilium speciale sibi donandum, quo tandem ad fidem, gratiamque perveniat; sed hæc quoque est hæresis Pelagiana in libro superiore satis superque refutata. Ut omitam, nullum ejusmodi hominem ex historiis posse monstrari. Catones enim, Socrates, alique horum similes, qui inter ethnicos sanctissimi judicati sunt, multis vitiis coopertos fuisse, facile demonstrari posset.

Quarto, posset objici exemplum Cornelii Centurionis, qui quoniam eleemosynas faciebat, impetrare meruit a Deo, ut ad se instituendum in fide Christiana Petrus Apostolus mitteretur.

Respondeo : Cornelius antequam fidem Christianam audiret, non erat omnino infidelis, sed unum Deum noverat, eumque religiose colebat, ut in Actis cap. 10. S. Lucas scribit. Proinde ex fide orabat, et auxilio Dei eleemosynas faciebat. Sed etiamsi infidelis fuisset, tamen illa bona opera non sine dono Dei fecisset, ut S. Augustinus docet, in lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 7.

Quinta objectio : opera bona moralia, quæ possunt fieri solis naturæ viribus, non sunt peccata, ergo qui facit bonum opus morale non ponit novum impedimentum gratiæ, quod poneret, si bonum illud opus non faceret, ergo vicinior est salutem, quam si non fecisset bonum illud opus, ergo magis dispositus.

Respondeo : bona opera moralia, quæ fiunt a peccatore, non faciunt hominem magis indispositum ad gratiam, cum novum impedimentum non addant; tamen non disponunt, cum nullum habeant ordinem, aut relationem ad gratiam. Quocirca Deus interdum majores peccatores, interdum minores, auxilio speciali magis et citius adjuvat.

Sexta objectio : potest homo suis solis viribus timere pœnas gehennæ; naturale enim timere malum; poterit igitur metu pœnæ futuræ dolere de peccato, qui dolor a theologis attritio dicitur : atqui ejusmodi dolor est dispositio ad gratiam, et accedente Sacramento justificat : igitur potest homo suis solis viribus ad gratiam se præparare. Et confirmatur, quoniam sine dubio potest homo sine ulla speciali gratia Dei dolere de offensa amici, cur igitur non possit etiam dolere de offensa Dei, præsertim si Christianus sit, et noverit summa Dei erga homines beneficia?

Respondeo : timor gehennæ si ordinatur ad peccatum detestandum et relinquendum, sine dubio donum est Dei, neque solis viribus naturæ haberi potest. Ipse enim est initium sapientiæ, et inter dona Spiritus sancti numeratur ab Isaia cap. XI. Multo etiam magis dolor, ac detestatio peccati cum desiderio purgationis, donum Dei est cum ad salutem pertineat. Et quamvis possit quis sine auxilio gratiæ detestari offensam amici, non tamen Dei, cujus ipse peccator non est amicus, sed inimicus. Denique novit quidem homo Christianus ex fide summa Dei in homines beneficia, non tamen movetur ad ea consideranda, et inde concipiendum odium

in peccata, et amorem in Deum nisi gratia illum divina præveniat. Tenetur enim somno, vel potius morte peccati, a qua non eum excitat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT VII.

Non posse sine auxilio gratiæ diligere Deum.

Tertia restat sententia de dilectione Dei, quæ priusquam probetur, paucis explicanda est. Siquidem multiplex esse potest dilectionis acceptio, ac per hoc etiam multiplex quæstio.

Primum, accipi posset dilectio Dei vel pro actione voluntatis, vel pro quadam propensione ad Deum, ut finem ultimum et summum bonum, et de hac posteriore non quarimus hoc loco, sed tantum de priore. Nam pro comperto haberi existimamus, naturam voluntatis propensam esse ad bonum, ac per hoc ad Deum, ad quem facti sumus, fecit enim nos Deus ad se, et ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescamus in ipso, ut S. Augustinus loquitur lib. 1. Confession. cap. 1.

Secundo, dilectio, quæ est actus voluntatis accipi potest, vel pro dilectione Dei, ut is est auctor naturæ, vel pro dilectione ejusdem, ut est donator felicitatis æternæ. Et hoc modo posteriore concedunt omnes Theologi, non posse diligere Deum sine gratia Dei, et fide præcedente; neque nos de hac re dubitamus.

Tertio, dilectio Dei, sive ut auctor bonorum naturalium, sive etiam supernaturalium, alia est perfecta, alia imperfecta : idque tribus modis. Alia enim est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteponebat. Alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus cæteris præfert.

Rursus alia est perfecta, quia non solum Deum rebus omnibus præfert, sed majore ardore ac vehementia in illum afficitur, quam in ullam rem creatam, quæ dici solet dilectio super omnia, tam appetitive, quam intensive. Alia est imperfecta, quoniam æstimat quidem super omnia Deum, et mallet cætera omnia potius, quam illum perdere, ta-